



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Homili-||arvm Sive Sermo-||num doctissimi uiri loh. Eckij
ad-||uersum quoscunq[ue] nostri || temporis hæreticos,||
super Euangelia || de tempore || ... Tomvs ...**

... ab Aduentu usq[ue] ad Pascha ...

Eck, Johannes

1534

VD16 E 292

D[omi]nica 5. post Epip. Eua[n]g. Co[n]fiteo[r] tibi pater. Matth. 11
Homili[æ] du[æ]

urn:nbn:de:hbz:466:1-35308

Danicula
pœnitentię

¶ Ad extremum pœnitentiam quoq; nauiculam esse, & uulgare est, & à doctissimo uiro domino Kaiserspergio latissime declaratum, & per nos quoque explicatum. Quæ quia in omnium passim sunt manibus, missa nunc factio. Et uos deo & protectioni diuinæ commendo. Oremus ad dominum &c.

DOMINICA V.

POST EPIPHANIAE FESTVM,

Euangelium Matthæi XI.

Luce. 10.

Infra. 28.

Luce. 10.

Job. 15. 13.

In illo tempore respondens Iesus, dixit: Confiteor tibi pater, domine cæli & terræ, quia abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus, & reuelasti ea paruulis. Ita pater, quoniã sic fuit placitũ ante te. Omnia mihi tradita sunt à patre meo. Et nemo nouit filium nisi pater, neq; pater quis nouit nisi filius, & cui uoluerit filius reuelare. Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam uos. Tollite iugum meũ super uos, & discite à me, quia mitis sum et humilis corde, & inuenietis requiẽ animabus uestris. Iugum enim meum suaue est, & onus meũ leue.

HOMILIA PRIMA.

Jacob. 1.

Dominus noster Iesus Christus in hoc euangelio confitetur & gratias agit patri suo cælesti, quòd corda illuminãrit humilium, ad credendum & cõfitemdum ea, quæ tum fidei tum salutis sunt animarum, & omnia absconderit à sapientibus, superbis nimirum & obstinatis. Deinde remuneratorem semet fatetur omnium qui in terris hic duriter laborant, & dicit: Cõfiteor tibi pater, domine cæli & terræ. Est aut triplix in scripturis confessio repire, p̄ctõr; unã, de q̄ Jacobus, Cõfitemi-

ni, inq̄t, alterutrum peccata uestra. de hac Iosue etiã sic Iosue. 7.
loquutus est ad Acham, Fili mi, da gloriam domino deo
Israel, & confitere atq; indica mihi quid feceris, & ne abs-
condas. Secũda confessio prædicationis est, de qua Paulus
ita scribit: Corde creditur ad iustitiam, ore autem fit con-
fessio ad salutem. ea necessaria erat tempore persecutio-
nis in ipsis adhuc ecclesiæ primordijs, ubi quã plurimi
suppliciorum metu Christum ore negabant, & tamen
corde confitebantur. De neutra harum confessionum hic
dominus loquitur, sed de illa tertia, quæ laudis est & gra-
tiarum actionis, cuius & Isaias meminit, dicens: Domi-
ne, deus meus es tu, exaltabo te & cõfitebor nomini tuo,
quoniam fecisti mirabilia, cogitationes antiquas fideles,
Amen. Huiusmodi hic confessione confitetur hic Chri-
stus deo patri, quomodo confessio frequenter etiam usur-
patur in psalmis. Et hæc sane confessio, gratiarum actio
est, qua quis agnoscit ex quo beneficium acceperit, ut il-
lum propter hoc laudet, quod ei contulit, bonum. Sic ita
q̄ dicit hic Christus, Confiteor tibi pater, domine cæli
& terræ. hic ille est, cui confiteri & quem laudare debe-
mus, deus pater cælestis, qui dat omnibus affluenter, &
non impropert. Et merito quidem confiteri huic debe-
mus, aperit enim manum suam, & implet omne animal
benedictiõẽ idem ille dominus omnium, qui & diues est
in omnes qui inuocãt eum. Audiant hic omnes qui Chri-
stiani sunt, quotquot fidem profitentur catholicã, & di-
scãt, quoniam deus creauit eos, Christus sanguine suo re-
demit, & sp̄s sanctus super ipsos in baptismo & alijs sa-
cramentis effusus est. Atq; dum credunt omnia bona se
recepisse à deo, tandemq; uitam & felicitatem susceptu-
ros æternam, ex animo gratias agant illi, sicut fideliter
monuit Paulus: Semper gaudete, sine intermissione ora-
te, in omnibus gratias agite. hæc est enim uolũtas dei in
Christo Iesu in omnibus uobis. Audin' uolũtatem hanc
esse dei, ut in omnibus illi gratiã agantur? Ecce idem te
docet beatus Augustinus, inq̄ns: Quid melius & animo
geramus, & ore p̄mamus, & calamo exprimamus, q̄ deo
gratias? Hoc nec dici breuius, nec audiri letius, nec intelli-
gi grãdus, nec agi fructuosi p̄t. Vos ex corde intimo di-

Roma. 10.

Isaie. 25.

psal. 4. 9.
106. 2 108.

Jacob. 1.

psal. 144.

1. Thes. 5.

Ad Aure.
epist. 77.
Deo gra-
tias.

cite, Deo gratias, iterumq; ore ingeminate id ipsum, Deo gratias. Verbum hoc uulgo etiam notissimū est, & in ore omnium frequens, sed nō in suo illo succi pleno intellectu. Sic & Paulus cibum cum gratiarum actione præcepit percipiendum, dicens: Siue manducatis, siue bibitis, uel aliud quid facitis, omnia in gloriam dei facite. Hæc est autē gloria dei, ut illi gratiæ agantur in omnibus. (Recita, si uis, totum caput trigesimum primum ex septimo de ciuitate dei Augustini.)

2. ¶ Quando itaq; ex ijs constat, uerbum hoc, confiteor, non ad pœnitentiam hic referri & contritionem, superuacuum fuerit de illa multum referre, quod ueteres fecisse uidemus doctores, quorum temporibus & uulgus linguam latinam, & eruditiores callebant Græcam.

Origenes Vnum est quod submoneam, ex Origene dicente: In hoc ipso quod sonuit confiteor, pectora rutilatis. Tundere autem pectus, quid est aliud quàm arguere quod latet in pectore, & euidenti pulsu occultum castigare peccatum? Hoc utinam animo reponeretis. tempore Origenis iam olim ante annos mille trecentos in usu fuisse apud catholicos, ut non occulta tantum & manifesta confessione, uerum etiam in sermonibus publicis quodocumq; confessionis audiretur uocabulum, tundeant pectora sua, sicut & de illo publicano euangelico Lucas commemorat. Sed & de gratiarum actione satis dictum est, quamuis hic quoq; pleriq; uestrum satis culpabiles comperiantur, cum dicitis, Quid est quod agam in templo? Quocē dum in templo.

Leuit. 18. Quid agē dum in templo. & lubens seruires. Ecce te Dauid docet quid respondeas interroganti, quid agas in templo. Laudans, inquit ille, inuocabo dominum, & ab inimicis meis saluus ero. Aut quid obsecro agas in templo? Tam ne feliciter tibi succedunt omnia & ex uoto tuo, ut ne pro tentationibus quidem tuis (de aduersitatibus taceo) orādus tibi sit deus? adhuc tamen ingrediere templum, neq; pro illis tantum donis tantis gratias ei age, uerum etiam adhuc ora, ut quæ forte tibi incumbunt & imminēt mala, auerant, roga in 1. Regū. 15 bono ut te conseruet, neq; a gratia sua sicut Saul regem

finat excidere, ora eum pro parentibus & maioribus tuis, pro benefactoribus, pro generali statu totius Christianismi. En tibi quod agas in templo. Ecce & ipsum hic tibi Christum, qui nec peccauit unquam, nec aliquid mali fecit, neque dolus inuentus est in ore ipsius, & tamen confiteatur, laudat atque glorificat deum patrem suum, qui in caelis est. Quod si ille fecit, an nos facere idem recusabimus? quod etiam de bonis Dauid iam olim praedixerat: Quoniam magnificentiam gloriae sanctitatis tuae loquentur, & mirabilia tua narrabunt.

3. ¶ Nunc sequitur & qua in re & quibus de causis patri suo Christus tantopere hic gratias agat, dicens: Confiteor tibi pater, domine caeli & terrae. Non illum dominum suum uocat, ne occasionem Arrio daret & alijs, qua diuinitatem sibi suam subtraherent. Per caelum & terram omnes in uniuersum intellige creaturas, uel caelestes & terrestres creaturas. Cur autem tibi o pater confiteatur Christus? ideo nimirum, quoniam haec abscondisti a sapientibus & prudentibus, & reuelasti ea paruulis. Haec inquam, mysteria, scilicet noui testamenti, & omnia quae ad salutem faciunt animarum, haec etiam quae indies adhuc manifestat ex reclusis illi scientiae suae & sapientiae diuinae atque thesauris, ea omnia sapientes celasti. Quos illos? inquit Chrysostomus. scribas puta & pharisaeos, qui apud semetipsos prudentes sibi uidebantur. Paruulos autem apostolos intelligit, humiles illos. Et sic sapientes hic non eos accipies, qui uere & cum laude atque ex gratia diuina sapientes existunt: sed istos, qui (ut inquit Hieronymus) sibi sapientes uidentur, & in conspectu suo prudentes.

Atque hic per omnia nos docet, flatum superbiae, testante id ipsum quoque Chrysostomo, omnino esse fugiendum, ac simplicitatem admirandam, quod Paulus amplioribus uerbis scribit, dicens: Si quis uideatur inter uos sapiens esse in hoc seculo, stultus fiat ut sit sapiens. Scriptum est enim: Comprehendam sapientes in astutia eorum. Et iterum: Dominus nouit cogitationes sapientum, quoniam uanae sunt. Frustra laborat omnis mundana uersutia, in his quae animae sunt & salutis, quae haec se recta in deum erigit: ideoque & paruulis manifestauit deus mysteria fidei, non ma-

1. Petri. 2.

psal. 144.

Arrius.

Coloss. 2.

Chrysost.

Hierony.

Chrysost.

1. Corin. 1.

Job. 5.

psalm. 95

Romā. 1.

gnis, hoc est, illis qui sibi magni uidentur. isti. n. quid aliud sunt, quam uel Melitide aut Coræbo (quos nobilitarunt proueria) stultiores? Veruntamen, ut Paulus ait, etiā qui se sapientes dicebant, stulti facti sunt. Quid ita? quia, sicut ibidem prius dixerat, obscuratum est in sapiens cor eorū. En causam tibi, quare qui sapientissimi sibi uidebant, stulti facti sunt, eo quod lumine carent, ideoque sunt in tenebris. Et sane si præsentem statum mundi huius iam consideres, uideas plerisque iudicio mundi sapientissimos habitos, sibi que etiam uisos non imprudentes, uelut marcida & putria poma decidere à cōmuni ordinatione ecclesiæ catholice, nouos sibi ritus & ordinationes condere proprio ingenio & capite confictos. Quæres, cur illud fiat? quoniā dum sapientiores sibi uideantur tota illa ecclesia, stulti facti sunt, stupidi, cæci, caudices, & quouis pistillo reuersores. Et id omne ex illo, quia lumine isto lucidissimo carēt, quod illuminat totum hunc mundum. Verum hoc ipso,

Johan. 1.

cur adeo isti ex multis destituunt? bene quæris, & en tibi eius rei causam. Quia ipsi sibi lucere cupiunt, suo lumini innitunt, & corā semetipsis satis sibi uident sapere: apud hos nihil faciunt, imò nec quicquam ualent Pontifices, Imperatores, Concilia, Augustinus, Hieronymus, & quotquot sunt patrum, nullā isti ex ijs lumē recipiunt, sed neque desiderant, ac oblatum quoque respuunt, & omnino nullum admittunt lumen, quod deus incendit ad illustrandas mentis nostræ tenebras: uerum omnia pro ceruicoso suo capite uolunt agere & efficere, ideoque uenit super eos sententia illa iam olim à sancto Paulo pronunciata, ac merito quidē, quā dum sibi uidentur lux mera, Cimmeriæ sunt tenebræ.

Psalm. 17.

neque aliq̄ à deo petunt illuminationē, & ipsi adeo oculos claudunt ac obstruunt, ne uideant ab aliquo lumine quod deus accendit, nec cum Dauide clamant ad deū: Tu illumina lucernā meā dñe deus meus, illumina tenebras meas. hinc fit ut non accendant à lumine diuino. Iohannes uero, quis lux essentialis non fuerit, lucerna tamen extitit ardens. Quis obsecro credat, lumen illud æternū Christum Iesum (à quo tamen in ipso adhuc matris utero accensus est Iohannes, qui tamen nihil scripsit) non plures incendisse lucernas annis hactenus mille & quingētis, quā

Johan. 1.

nunc demum Lutherum, Zuinglium, & huiusmodi impu-
 rissimā sordidorum hominum fecem? Profecto quisquis
 hoc credit, quod omnes nunc neochristiani faciunt, & de-
 um & dininū illud lumen blasphemant, atq; in summa, no-
 uam sibi ipse fingit ecclesiam, noua quādam compingit
 sacramenta, missamq; nouam. Et quid deniq; non? Deum
 nouum etiam, quem si ex nomine cognoscere uis, diabo-
 lus is est. Ah ne quid per deum immortalem istorum mo-
 uearis insania, neque audias illos, sed neque sapiētes eos
 esse credito, quoniam pater abscondit illa à sapientibus,
 ab ijs qui cum lucem se credant, nil sunt nisi obscurissime
 tenebræ. Id nonne luce meridiana clarius est & pater, ex
 ista neochristianorū tam instabili inconstantia? ecce em̄
 in uno isto oppido Vuittenbergæ, unde hæc pestis orta,
 plus nonies missam uariârunt. An hæc tibi lux uidet? quā
 si utiq; habuissent ueram, primū statim uidissent, quānā
 missæ rectissima esset forma & institutū. sed quia in tene-
 bris ambulant, modò hoc, mō illud palpitant, semper pu-
 tantes qd optimū est se tenere: tandemq; uident id quod
 elegerunt, nihil esse. Quid multa? Lutherana ista instabi-
 litas ita plane est, ut cum pueri, Andabatarum concertan-
 tium mote, clausis oculis circuncursantes ludunt, qui qd
 quid primum obuenerit attrectant, quēcunq; attigerint,
 tenent. nulla est ibi lux, nulla stella. Isti nimirum cæci, ce-
 corum sunt duces, qui uno omnes casu in foueam labun-
 tur præcipites. Isti sunt qui se sapientes putant, de quib⁹
 Paulus loquitur: Isti sunt magistri nouelli, prurientes au-
 ribus, magistri mendaces, pseudo prophetæ, qui introdu-
 cunt sectas perditionis. Has prohdolor sectas nimium &
 heu nimium duriter experti sumus, dum hucusq; uidem⁹
 hic Lutheranos, illic Zuinglianos, istic Catabaptistas, &
 in singulis ijs plures adhuc dissectiões, quibus ipsi se, mul-
 tis modis ab ecclesia, ordinatione & unitate catholica se-
 parant. Primo statim exordio cœpit deus ecclesiam suam
 instituere in paruulis, humilibus & simplicibus hoibus,
 aplis, q; & posteris & filij atq; nepotes oēs pijs sunt Christi-
 ani. Et rursus diabolus Antichristo suo synagogā extru-
 ere parat, primos illi⁹ fundamēti lapides ecōtrario ponēs
 elatos & corā mūdo prudētissios, Verū boni subiū clamā

Simile.

Luthera-
ni Anda-
bate.

Matth. 15

Roma. 1.
1. Tim. 4.
1. Petri. 2.

Psalm. 118 ad dominū, Lucerna pedibus meis uerbum tuum & lumē
1. Johan. 2 semitis meis. Ab ipso iam inde apostolorū tempore tran-
 ierunt tenebræ, & illuxit lux uera Christus, non istam
 fuliginosam & obscuram expectauit lucernam Luther.
 Atq; ideo omnes qui in unitate sunt ecclesiæ catholicæ,
 cum Christo dicunt: Confiteor tibi pater, domine cæli &
 terræ, q̄ mysteria maiestatis tuæ, fideiq; nostræ arcana
 abscondisti à superbis istis & sapientibus mundi huius, at
 que nobis misellis pascuæ tuæ ouibus reuelasti. Huius im-
 mensæ gratiæ diuinitus uobis collatæ gratias deo refun-
 dentes, humili corde orate, Pater noster &c.

4. ¶ Sermonem suum Christus paternæ confirmat
 iudicio uoluntatis, dicēs: Ita pater, quoniam sic placitum
 fuit ante te, & sane sic uisum est diuinæ uoluntati, ut san-
 ctæ legis nostræ mysteria non paterent istis stulte sapien-
1. Corin. 1. tibus, sicut testatur sanctus Paulus, cum ait: Quia in dei sa-
 pientia non cognouit mundus per sapientiam deum, pla-
 cuit deo per stultitiam prædicationis saluos facere cre-

Origenes dentes. Et infra, quia quod sit ultimum est dei, sapientius est
 hominibus. Et iustum id quoq; est, inquit Origenes, ut q̄

Chrysost. noluerint esse paruuli, stulti fierent in ipsorum sapiētia.
Questio- Atq; hic se explicandas nobis præsent, quæstiones tres.
nes tres. Quarum prima est, cur tandem illa occultârit deus sapi-
 entibus, qui inde ignorantia suæ fucum & excusationem
 sibi arripere potuerint. Secūda, an ideo gauisus sit Chri-
 stus, quoniam hæc sapientes ignorauerunt, ut sic grati-
 as propterea egerit patri. Tertia, quare pro hac reuelati-
 one gratias egerit patri, cum tamen ipse quoq; hæc oia
 operatus sit filius. Ad primam illā respondent doctores,
 deum per se illis euangelium non celasse, uerum eos sibi
 ipsis abscondisse, dum illud aperte sibi prædicatum reci-
 pere noluerūt. (Deus abscondit, deus indurat, deus sexcæ-
 cat negatiue, id est, nolentibus non confert gratiam, lu-
 men &c.) Quomodo & sol radios suos alicui non trans-
 mittit per oclusum cubiculum, eo q̄ fenestras ipse non
 aperit, unde radij penetrarent. Sic etiam deus lumen eis
 non abscondit, nisi in quantum ipsi introuere nolue-
 runt. Rationem reddit Paulus cum ait, Ignorantes iusti-
Roma. 1. tiam dei, & suam quærentes statuere, iustitiæ dei nō sunt

subiecti. Quando igitur hic audis, q̄ absconderit deus illa ab eis, intellige iuxta Paulum, quia tradidit (hoc est, reliquit & dimisit) eos in reprobum sensum, & excecavit in intellectum eorum. Non sic tamen q̄ hæc operatus sit deus, sed quoniam isti ineptos semet effecerunt, indigni facti sunt qui reciperent gratiam dei. Altera causa fuit uelamen Moysis, quod ipsos habuit semper contactos super ueteri testamento, quod cum legebant, corticem ipsius tantum intuebantur, nucleum spiritus nihil indagantes. Merito itaq; Christus qui sub litera latet Mosaica, eis mansit incognitus. Velamen istud Iudaicum iam quidam etiam Christianorum sibi usurpant, uelantes oculos suos & obtegētes pannis, hoc est, densitate literæ, ut uidere porro nequeant splendidissimam illam ecclesię magnificentiam. Adiua domine infidelitatem eorum, ut ope & auxilio gratiæ tuæ uelamen istud rursus abiciant.

Roma. 1.

2. Corin. 3.

¶ Ad questionē secundā respondent itidem doctores, Christū nihil minus q̄ gauisum esse perditione illorū. sed quoniam hæc est uia salutis optima, ut qui respuunt quæ dicuntur & nolunt suscipere, nullo modo cogantur. Nō ergo quia sapientes nō cognouerunt, gaudet: sed quia paruuli illuminati perceperunt, lætatur. Ad tertium quod supra quærebatur, dicit Hieronymus, q̄ sicut pro nobis deum orat ardenti charitate secundum humanam naturam, ita ex magna dilectione nostri, gratias agit deo patri: & ut ille cœpta confirmaret in apostolis beneficia, amorem suum in patrem commemorat, dicens: Ita pater, quoniam sic placitum fuit ante te. Magnum hoc & forte uerbum est, q̄ quibusdam mysteria aduentus sui reuelauit, alijs celauit, inquit Origenes. cuius non aliam causam refert, quam quod sic uisum est deo patri. Quasi diceret, Iniustū esse non potest, quod iustissimo placuit deo. Alias licet hinc inde ratiōes colligere, ut cum Dauid ait: Intellectum deus dat paruulis. & Iacobus, Superbis, inquit, resistit, humilibus autem dat gratiam. Ideoq; & Beda clauem sciētiæ uocat humilitatem, & quæ stulta sunt mundi elegit deus, ut confundat sapientes. Nos uero laudem⁹ deum, illiq; pro beneficijs suis omnibus gratias agamus, quæ partim exhibuit, partim adhuc, ut spes nobis est opti

Chrysost.

Hierony.

Origenes

Psalm. 118

Jacobi. 4.

Beda.

1. Corin. 1.

ma, exhibiturus est. Oremus eundem humiliter per ipsam sanctissimum Christi Iesu sanguinem, ut sic nos in reuelatione fidei conseruet, ut eos tamen, qui uelamen ab oculis necdum abiecerunt, incognitam adhuc habentes lucem euangelicam, gratia quoque sua illuminet, ablato uelo, recte & firmiter credere faciat, nosque simul cum ipsis hac mortali uita transacta, deum contemplemur facie ad faciem, ita ut in diuina sua maiestate & substantia est in aeterna felicitate. Id ipse concedat salutaris omnis auctor & dator, Amen.

2. Corin. 13
2. Johā. 3.

HOMILIA SECUNDA

Dominicae quintae post Epiph.

Christus in hoc quod modo audistis, euangelio gratias agit patri suo caelesti pro pauculis illis hominibus, quos ex piscatoribus, telonariis & quibusdam cognatis suis coegerat. Iis tanquam humilibus mysteria reuelauit euangelii, cum interim mundus, pharisaei caeterisque Iudaei illa omnino ignorarent, quoniam ex deo gratiam humilitatis non habebant. Siquidem inter sapientes ut quisque est humilimus, ita doctissimus quoque est & habetur, sicut ex cisternis aut lacunis confluentium aquarum quae infima est, ea aquis abundat maxime. Merito itaque pater ille luminis mysteria sua paruulis reuelat, in quibus per tumorem & inanem mentis fastum nullus ueritati ponitur obex. Et sequitur, Omnia mihi tradita sunt a patre meo. Ne putes, inquit Chrysostomus, hac reuelandi potestate Christum esse priuatum, ac ideo gratias agere iam subdit, sibi quoque innuens omnem esse traditam potestatem, namque per illam generationem aeternam pater ei & substantiam suam & essentialiter communicauit perfectionem, atque ideo dicit ad illum: Mea omnia tua sunt, & tua mea sunt, & clarificatus sum in eis. Et iterum: Omnia quae pater habet, mea sunt. Et tamen hoc non adeo crasse & ruditer intelliges, patrem sic omnia dedisse filio, ut ipse iam nihil haberet. Vere enim & essentialiter potestatem quam ipse habet, & filio dedit, & ipse sibi reseruauit. Cum autem filio tradita sint omnia, & ipsa utique reuelatio illi data erit, ideoque fideles reuelationem hanc patris habent per filium.

Chrysost.

Johan. 16
1. 17.

Hierony.

um, cum filius medium personarum in diuinis locum ha-
 bet, & secundum humanitatem mediator est dei & homi-
 num, quod & Paulus testatur, dicens: Vnus deus & unus *1. Timo. 2*
 mediator dei & hominum homo Christus Iesus, qui de-
 dit redemptionem semetipsum pro omnibus. Et ideo col-
 lectas suas omnes concludit ecclesia hoc modo, Per dñm no-
 strum Iesum Christum filium tuum &c. Atq; in hoc etiã
 Christ⁹ ait: Nemo uenit ad patrem nisi per me. Qui quis
 uerus est intellectus, sunt tamen ex doctoribus qui uerbū
 hoc nolint intelligere de omni illa perfectione diuina,
 quam filius habeat à patre, sed tantum (ut sit secundum
 materiam subiectam distributio) de fidelibus, de quibus
 ille hic loquitur, sicut Origenes & Hieronym⁹ exponūt, *Hierony.*
 & ipse etiã dñs ad patrem dicit: Tui erant, & mihi eos
 dedisti, & sermonem meum seruauerunt. 2. Proposito *Johan. 17*
 iam illo, q̄ paruulis mysteria sua reuelarit deus, & q̄ sibi
 omnia tradita sint à patre, ipsa etiã reuelatio, porro iã
 probat, fieri non posse ut quis cognoscat deum nisi per fi-
 liū. Nemo em̄, inquit, nouit filiū nisi pater, neq; patrem *Johā. 14b*
 quis nouit nisi filius, & cui uoluerit filius reuelare. Vbi
 primum statim obserua, nō excludi hic sp̄m sanctum, qm̄
 hic quoq; patrē & cognoscit & filiū. siquidē una est trium
 personarū essentia, una potestas, intellectus unus & una
 sciētia. ille uero peculiariter etiã spiritus appellat uerita-
 tis, sicut interpretat beatus Augustinus. Deinde q̄a uerbū *De trinit.
libr. 7.*
 illud, & cui uoluerit filius reuelare, Christus postremæ
 parti sermonis huius, nō priori adiungit, non est quod
 aliud inde colligas, nisi patrē simul & filiū per filiū reue-
 lari, eo q̄ filius uerbū patris est æternum: uerbū aut̄ & sui *Johan. 1.*
 & eius à quo promanat, est declaratiuū, ut si quē audias
 loquentē, intelligis primū uerba, eaq; Germanicā ne sint *Libr. 1. de
question.
Euan. c. 1.*
 an Italica diiudicas, & p̄ter hoc deinceps loquētis animū
 & adfectū sup te quā narrat, cognoscis. Vide Augustinū:
 Sed & illud hoc loco Chrysostomus expēdit, uoluisse hic
 Christū declarare, unā sibi eē cū deo patre essentiā, unāq; *Johan. 1.*
 uoluntatem, cū ait, & cui uoluerit filius reuelare. Quod
 si quomodo uerum sit quæris, quoniam nemo deum pa-
 trem nisi filius cognoscat, respondeo, quia deū, qui infi-
 nitus est, nulla creatura potest perfecte cognoscere, nisi

intellectum habeat infinitum, sicut deus ipse: ut si linea aliqua sit in infinitum longa, nos eam non possemus oculis nostris penitus totamque uidere, siquidem oculus noster finitus est. Et hoc modo nemo nisi solus deus, diuinam perfecte cognoscere essentiam potest, quia sic deus incomprehensibilis est, sensum omnem superat & excellit, cogitationes quoque ac intellectum hominis subterfugit. Unde & Dionysius deum nec dici nec intelligi asserit: profe-

Diony. de
myst. the.
Roma. II.

cto enim cum iudicia dei incomprehensibilia scrutari nemo queat, ipsam illius essentiam cognoscere quis poterit? Quis autem cognouit sensum domini? aut quis consiliarius eius fuit? Recte igitur clamat Isaias, Vere tu es deus absconditus. Et prudenter hic Hieronymus haereticum reijcit Eunomium, qui tantum erat temeritatis, ut auderet dicere se & deum patrem & filium sic cognoscere, ut silli mutuo se inuicem nossent.

Isaig. 45.

¶ Quamuis autem deus in essentia sua infinita non possit a creatura cognosci, attamen radius aliquis essentiae diuinæ communicari potest creaturae, sicut & qui solem intueri totum non potest, potest tamen radios illius aspicere: ita hic quoque fieri certum est. habemus enim cognitionem illam per filium, ipso id attestante, cum ait: Deum

Johan. 1.

nemo uidit unquam, unigenitus filius qui est in sinu patris, ipse enarrauit. Quomodo & sapiens dicebat, Fons sapientiae uerbum dei in excelsis. Verum qui fiat, ut sic deo ab intellectu nostro cognosci nequeat, alias differemus

Ecci. 1.

Sapient. 7

latius. nunc sapientem audiamus pulchre enarrantem, qui pacto filius dei uerbum aeternum patrem suum declarat. ille enim sic ait: Sapientia aeterna (filius nimirum dei aeternus) candor est lucis aeternae, & speculum sine macula dei maiestatis, & imago bonitatis illius. Infra, Per nationes in animas sanctas se transfert, amicos dei & prophetas constituit. Quae omnia huc tendunt, quomodo uerbum aeternum patrem suum manifestet & declarat.

3. ¶ Ad hanc itaque reuelationem omnes iam homines conuocans Christus, ait: Venite ad me omnes qui laboratis, Ouocationem gaudio & consolatione plenissimam, quia non dicit, inquit Chrysostomus, hic aut ille,

Chrysof.

sed omnes qui curis, qui dolore, qui peccatis laboratis,

uenite ad me, non ut pœnas luatis, sed ut dolores peccatorum uestra resoluantur. Venite ad me, non quia glorificari me à uobis opus est mihi, sed quia salutem uestram maxime sitio. reficiam enim ego uos. Et hoc sane crediderim ad amplissimam illam Christi magnificentiam pertinere, quod in uniuersum omnes uocauit deficientes in quibus scunq; quis sanctus Hieronymus peculiariter ad peccatores refert. siquidem uere pœdus graue peccatū est. unde & Zacharias dixit, peccatum insidere talento plumbi, & Dauid iniquitates suas grauatas super se conquerit. Omnes igitur hic Christus uocauit sine dubio peccatores. Deinde ille hoc etiā de Iudæis exponit, pondere legis Mosaicę grauitate oppressis, sicut & Petrus attestatus est, cum diceret: Quid tentatis deum, imponere iugum super ceruices discipulorum, quod neq; nos, neq; patres nostri portare potuimus? Hoc illud leuaturus iam erat Christus, ueluti dicens: Vos omnes qui in Iudaismo uiuistis, qui tam diu onere legis grauitate pressi estis, uenite ad me. Ecce Messias ego sum. faciliore illa lege euangelica refocillabo uos. p. Mosē data lex est, atqui per me Christum gratia & releuatio facta est, dum facilia adeo seruatu institui sacramenta, loco tot sacrificiorum, purgationum & ciborum uitationum &c. Theophylactus eodem ferē modo intelligens: Omnes, inquit, uocat, non solum Iudæos & Gentiles. per laborantes, intellige Iudæos, ut facientes traditiones legis & in operatione mandatorum legis fatigatos: per oneratos autem, gentiles onere peccatorum oppressos, idololatria cæterisque immanissimis sceleribus contaminatos, sicut eorum uitia hinc inde ipsis Paulus commemorat. Consimiliter æterna dei patris sapientia Christus Iesus, uocat per Sapientem dicentem: Venite ad me omnes qui concupiscitis me, & a generationibus meis adimplemini.

4. ¶ Postremo nunc modum recenset, quo ad eum ueniant omnes, tollentes nimirum iugum illius super se, & discentes ex illo, quoniam mitis sit & humilis corde. Vbi facile quis contra Lutherum & neochristianos quoscunq; sustinere poterit, liberam nos habere liberę operantem uoluntatem, eo quod nos tollere iubet dominus iugum suum, non iussurus utique nec tollere iugum, nec

Hierony.

Zacha. 5
psalm. 37

Actu. 15

Johan. 1.

Theophyl.

Roma. 1.

Ecci. 24.

Origenes

2. Tim. 3.

Matth. 20

1. Corin. 6

2. Corin. 11

discere istud ex ipso, nisi liberum arbitriū nostrū ope & auxilio gratiæ diuinæ quā plurimum ualeret. Quæ sane euāgelij nostri pars est locupletissima, & illud licet breuia paucāq; uerba complectatur, succum tamē habet herberrimum & medullæ plurimū in intellectu atq; expositione. Tantum hic lubet uerba adducere Origenis, ceteris enarrationibus posthabitis. Ait autē sic: Mirum quibusdam uidetur, fratres charissimi, cum audiūt dñm dicentē: Iugum meum suauē est, & onus meum leue. Ait enim aliquis: Quō iugum eius est suauē & sarcina leuis, cum oēs qui subierunt iugum ipsum intrepida ceruice, tantis agitantur & exercentur difficultatibus huius seculi, ut à quiete ad laborem uocati uideantur? sicut & Paulus dixit, Omnes qui pie uolunt in Christo uiuere, persecutionem patiuntur. Alibi quoq; parabola docet euangelica, quoniam paterfamiliās noster Christus à quiete & ocio nos uocat ad laborē, dicens: Quid hic statis tota die ociosi? Quin potius ite & uos in uineam meā, portate pondus diei & æstus. Diu multumq; sustulit iugū hoc sanctus Paulus, expertus utiq; satis, quā suauē sit & leue, unde nos quoq; in Corinthiis suis docuit, ut nos exhiberemus in omnib; sicut dei ministros, in multa patientia, in tribulationibus, in necessitatibus, in angustiis, in plagis, in carceribus, in seditionibus, in laboribus, in uigiliis, in ieiuniis &c. Et ad huc plura libet audire, quæ in hoc iugo ferendo sustinuit Paulus? Ecce, ipse inquit, à ludæis quinquies quadragenas una minus accepi, ter uirgis cæsus sum, semel lapidatus sum, ter naufragium feci, nocte & die in profundo maris fui: in itineribus sæpe, periculis fluminū, periculis latronū, periculis ex gñe, periculis ex gētibus, periculis in ciuitate, periculis in solitudine, periculis in mari, periculis in falsis fratribus: in labore & ærumna, in uigiliis multis, in fame & siti, in ieiuniis multis, in frigore &c. Hæc omnia hic à Paulo commemorata, grauiasunt sane, tristia & acerba. Cur itaque Christus iugum suum suauē esse prædicat? Responderi ad hoc potest, quamuis ista iam enumerata durissima sint, tamen eum qui patitur illa, gratia spiritus sancti cōsolatur interius: fouet etiā de die in diem, ut sic dulcedinem maximā sentiat in animo suo, spe fuls

atq; adiutus salutis æternæ, cuius iam gustum sensit ideo que aduersitates omnes, ut in se molestæ fuerant, & penè intolerabiles, dulcescunt, fiuntq; leuissimæ. Quo exemplo sanctus Laurentius craticulæ impositus, & igni admotus, sibi uidebatur inter rosas iacere & lilia. Qua uero fortitudine animiq; constantia tanta tot subiisset Paulus labores, nisi gratia adiutus, ac subinde confirmatus diuina: Sic nos quoq; oremus dominum ut nobis quoq; gratiam suam largiatur, quatenus iugum suum nobis dulce fiat, & ita hic euangelicam legem teneamus, ut tandem uita potiamur æterna. Id adeo ipse præstare digneris, o dulcissime domine Iesu Christe, Amen.

S. Laurentii

DOMINICA SE-

PTVAGESIMAE EVANGELIUM

Matthæi XX.

In illo tempore dixit Iesus discipulis suis parabolam hanc: Simile est regnum cælorum homini patrifamilias, q; exiit primo mane cõducere operarios in uineam suã. Conuentione autẽ facta cū operarijs ex denario diurno, misit eos in uineam suam. Et egressus circa horam tertiam, uidit alios stantes in foro ociosos, & dixit illis: Ite & uos in uineam meam & quod iustũ fuerit, dabo uobis. illi autem abierunt. Iterũ autẽ exiit circa sextã & nonã horã, & fecit similiter. Circa undecimã uero exiit, & inuenit alios stantes, & dicit illis: Quid hic statis tota die ociosi? Dicunt ei: Quia nemo nos cõduxit. Dixit illis: Ite & uos in uineam meã. Cum sero autem factũ esset, dicit dominus uineæ procuratori suo: Voca operari

r ij